



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

VIII. De eadem re, & da falsa inscriptione quorundam capitum Gratiani ex octava & nona synodo inscriptoum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10634

DE EADEM RE, ET DE FALSA
 inscriptione quorundam capitum Gratiani
 ex octava & nona synodo inceptorum.

Dialogus octavus.

A. NUMERASTI centum Episcoporum nomina octavæ synodi? C. Actionis decimæ numeravi Archiepiscopos LV. Episcopos XLIV. præter Ignatium Patriarcham & Legatos Romanos & aliorum Patriarcharum Legatos. Subscriptionum par numerus est. Græci in additis ad octavam synodum hos centum & duos fuisse referunt, in synodo Nicolai contra Photium & Radualdum & Zachariam CLXX. interfuisse, in synodo Hadriani contra Photium centum viginti. In libro Deus-dedit Cardinalis ita scriptum est capite primo: *Ex VII. synodo universali habita à quinque Patriarchis cum CCCL. patribus sub primo Hadriano Pontifice Romano. Omnis electio Episcopi &c.* quod sumptum est ex capite tertio septimæ synodi. (1) Mox sequitur: *Ex VIII. synodo item universali habita item à quinque Patriarchis cum patribus CCXL. sub primo Nicolao Pontifice. Promotiones & consecrationes Episcoporum &c.* ut cap. XXII. hujus synodi de qua agimus. Utriusque capitis verba refert liber Tarraconensis. A. Certiora mihi videntur quæ ex subscriptionibus retulisti; & ex errore

*Dist. 63. c. 7.
 Omnis.*

Dist. c. c. 2.

*Tarrac. lib. 1.
 c. 46. & 47.*

notarum facilè pro CXI. scriptum est CCXL.
 Fient autem CXI. si Legatorum habeas rationem. Sed nos veniamus ad caput ipsum
 XXII. cuius tu mentionem fecisti. Id Gratianus bis posuit, ut de ejus diligentia cognoscatis distinct. LXIII. cap. I. & II. Namque Hadriano Papæ adscripsit illa verba: *Nullus laicorum, Principum &c.* Item illa: *Quisquis secularium Principum &c.* Mox addit: *Item ex octava synodo. Hadrianus Papa secundus, quod Nicolaus prædecessor ejus disposuerat, Missos suos, Donatum scilicet Ostiensem Episcopum, & Stephanum Nepefinum Episcopum, (Sic enim mutandum esse diximus) & Marinum Diaconum S. R. E. ad Basilium Imperatorem & ad filios ejus Constantinum & Leonem Augustos Constantinopolim direxit. cum quibus & Anastasius Bibliothecarius Romana sedis, utriusque lingua Græca & Latina peritus, perrexit.* B. Idem Anastasius in præfatione ejusdem synodi ad Hadrianum ait se missum fuisse à Ludovico Imperatore cum eadem celebraretur synodus. A. Reliqua persequamur: *Et synodo congregata, quam octavam universalem synodum illuc convenientes appellaverunt, exortum schisma de Ignatii depositione & Photii ordinatione sederunt, Photium anathematizantes, & Ignatium restituentes. in qua sic statutum est. Consecrationes & promotiones Episcoporum &c. Photium autem, non Fotinum, scribendum esse aperta res est: quamvis in eodem nomine errent aliquot historici.* C. Unde hanc histo-

c. 1. & 2. c. d.

Lib. 1. dialo-
gº 4.

riam didicit Gratianus? A. Res mihi incerta est. Sed videamus an meliora dicant Ivo & Anselmus & alij collectores. C. In Panormia Ivonis ita scriptum est: *Ex canone Apostolorum VIII. synodus cap. XI. Promotiones & consecrationes &c.* B. Cur hic de Apostolorum canone dicitur? A. In margine libri aliquis addiderat Apostolorum cap. xxx. cuius verba refert septima synodus, non octava. C. Idem Ivo in excerptionibus sic ait: *Octava synodus cap. XI. Promotiones &c.* Anselmus scribit: *Hadrianus Papa universali octava synodo presidens dixit. Promotiones & consecrationes &c.* B. Quasi verò hæc præsentè Hadriano constituta sint. C. Non meliora sunt quæ Deus-dedit & liber Tarraconensis referunt, sub Nicolao primo hanc synodum habitam esse, ut antea diximus. A. Vide Casaraugustanum a. C. *In octava synodo cap. XI. Promotiones & consecrationes &c.* A. Videtis, opinor, horum omnium negligentiam qui neque fontes perquirunt, neque temporum historiam scire cupiunt, neque de auctoritate librorum laborant; sed eis omnia pro oraculo sunt, quasi ea, ut Moses, duabus tabulis exarata Dei digito perceperint. (2) C. Sûntne alia ex hac synodo apud Gratianum? A. Falsæ inscriptiones permultæ sunt, de quibus nobis certiora. B. noster dicet. Scio enim quædam selectos illos viros Romæ invenisse in regulis brevioribus Basilij. B. Apud Isidorum quædam etiam invenerunt, nonnulla incerta relicta sunt, quæ septimæ, octavæ,

Ivo lib. 3. tit.
2. c. 1. panor.
& part. 5. c.
122. decr.

Anselm. lib. 6. c.
20.

a Cas. lib. 3. c.
63.

væ, aut nonæ synodo Gratianus adscripsit. Initium sumamus à capite xxii. distinctionis l i v. *b* octavæ synodo inscripto. Sunt enim verba ejus capitis ab Isidoro sumpta in regula monachorum cap. xviii. de familiari vita: ex quo mutandum est, pro *non licebit, non licet;* & pro *dare non potest, dare non debet.* (3) Distinctione xxci. *c* caput xxv i. ex septima synodo inscribitur; sed in incertis ponendum est, quamvis capite extremo ejusdem synodi sint quædam verba apta rei de qua agitur. (4) Distinct. xc. *d* caput quartum & quintum ex octava synodo sunt apud Gratianum; sed ex Concilio Maguntino est caput quartum apud Burchardum *e* & Ivonem *f* & in Pœnitentiali Romano *g.* & caput quintum ex Concilio Agathensi, & ex eodem Maguntino apud eosdem. Tamen incerta etiam hæc duo capita relinquuntur. (5) Causæ primæ caput nonum ex octava synodo est apud Gratianum *b.* Meliùs apud Anselmum *i* & Deusdedit cap. ii. ex ultima epistola synodi septimæ; apud Ivonem *k* est ex cap. xx. synodi vii. & ex vii. synodo apud eundem Gratianum *l.* In libro Cæsaraugustano ut apud Ivonem. Videnda Tarasij CP. epistula ad Hadrianum Papam contra Simoniacos, quæ in Græco libro est post septimam synodum. (6) A. Non magnum erratum esset si quod ex septima synodo erat, aut ei conjunctum, octavæ synodi esse diceretur. B. Non satis certus sum an eadem illic verba sint. (7) Illud Palear caput extremæ causæ quintæ, quod etiam

b *Dist.* 54. c.
22. Abbati.

c *Dist.* 81. c.
26. In omnib.

d *Dist.* 90. c.
4. Alienus.
c. 5. Si quis.

e *Burc. li.* 10.
c. 52. 53. 54.
c. 62.

f *Ivo par.* 13.
c. 13. 54. 55.
c. 63. decret.
g *Pan. rit.* 6.
c. 9. c. 10.

h *1. q. 1. c. 9.*
Qui per pecuniam.

i *Ansel. libr.*
6. c. 80.

k *Ivo par.* 5.
c. 121. dec.

l *1. q. 7. c. 2.*
p. Sed quoniam.

Cesar. lib. 4.
c. 9.

5. q. 6. c. 7.
Si quis.

ex octava synodo inscribitur, nusquam repertum est. Inveni tamen Paleæ non esse adscriptum; & videndus Isidorus in regula monachorum cap. xvii. (8) Quod verò eidem octavæ synodo & Isidoro adscribit Gratianus causa xi. m, ex dictis Isidori Burchardus & Ivo o esse scribunt. Non dissimilis sententia exstat apud Isidorum in monachorum regula cap. xvii. de excommunicatis, & apud Benedicti regulam cap. xxvi. cujus verba referunt Ivo p & liber Cæsaraugustanus q. (9) Certius est quod in eadem causa ex octava synodo esse dicitur r, Isidori esse lib. iiii. cap. lxx. de summo bono. Ut quod ei proximum est Gregorio adscriptum, ex eodem libro Isidori est cap. lxx. licet ex libro officiorum Isidori esse dicatur apud Burchardum s. (10) C. Quamobrem dicemus in tam multis pro Isidori aut alterius nomine abusum Gratianum hac synodo? B. Inveni à selectis viris notatum, fieri potuisse ut in aliquo libro *Octava synodus* inscripto, post verba ejus synodi, alia capita essent ex variis scriptoribus relata sine ulla inscriptione. ita factum esse ut addita octavæ capitibus pro verbis ejusdem synodi haberentur. C. Apertius est cum Paullo causam confiteri, quia ignorans feci. An eadem illa causa est in Gregorio pro Isidoro scripto? B. Minimè gentium. Sed cetera videamus. Nonæ synodi esse dicitur caput primum causæ xx. & quod selecti viri Basilio adscribunt in regulis cap. xv. & in epistula ad Amphilochem cap. xlix. Ideo verò

m 11. q. 3. c.
28. Si quis. &
c. 18. Cum
excommuni-
cato. in fin.
n Burch. li. 11.
c. 32.
o Ivo par. 14.
c. 96. decret.
p Idem d. par.
14. c. 34.
q Cæsar. lib.
14. c. 39.
r 11 q. 3. c. 77.
Non solum.
& 78. Quat-
tuor.
s Burch. li. 16.
c. 28.

t 20. q. 1. c. 1.

verò ex nona synodo dictum esse putant quòd
 canones Basilij positos post canones octavæ
 synodi crediderit aliquis esse ex nona synodo.
 A. Ludere mihi videntur qui hæc dicunt. (11)
 De aliis dices cùm libebit.

ADDITIONES.

(1) IN Gregoriana editione inscriptio capitis 7.
 dist. 63. est: *Item ex septima synodo, qua est
 secunda Nicæna 350. Episcoporum c. 3. Omnis electio
 Episcopi. De eodem capite scriptum est lib. 1. dialo. 9.
 addit. 10.*

(2) Eiusdem distin. 63. capitis 1. & 2. inscriptio-
 nes retulimus lib. 1. dialogo 4. addit. 1.

(3) Capitis 22. distin. 54. hæc in eodem libro Ro-
 mano inscriptio est: *Probatum auctoritate octavæ sy-
 nodi, in qua sic statutum legitur: Abbati vel mona-
 cho monasterij servum non licebit &c. dare non potest
 &c.* In margine est: *Isidorus Hispal. in reg. monach.
 de famil. vita. Et in Notis, post alia: Caput autem
 quod nunc à Gratiano citatur, alibi repertum non est
 quàm apud Isidorum Hispalensem in reg. monach. c.
 de famil. vita. Et vers. Vnde in alio capitulo præfata
 constitutionis hæc ratio redditur. Injustum est enim
 &c. additur in Notis: Injustum] Infrà 17. q. 4. c.
 In venditionibus. vers. Injustum. hoc ipsum citatur
 ex Concilio Agathensi, ubi etiam extat c. 55;*

(4) Hæc est in eodem libro inscriptio capitis 26.
 In omnibus. distinctione 81. *Item ex VII. synodo. In
 Notis est: Caput hoc etiam in aliquot manuscriptis
 citatur ex septima synodo, in cuius sanè postremo capite
 aliqua huc spectantia habentur. Ceterum in plerisque
 citatur ex octavæ. & sententia videtur sumpta ex c.
 83. Asceticorum beati Basilij, cuius regulas sub nomi-
 ne octavæ synodi sape citari alibi notatum est.*

(5) Ante caput quartum *Alienus sit.* distinctione
 90. in eodem libro hæc verba sunt: *Item ex octava
 synodo. Et in margine est: Burc. l. 10. c. 52. & 54.*

Ivo p. 13. c. 55. & 53. ex Conc. Moguntino. In Notis additur: In libello B. Basilij de institutis monachorum Rufino interprete (qui nuper Colonia cum regula B. Benedicti est impressus) c. 42. in ultima responsione habetur prima pars hujus capituli usque ad ver. abjiciatur.] Qui murmurans] Ejusdem libelli c. 50. penultima interrogatio sic habet: Si verò etiam &c.] Juxta mensuram] Hæc pars non habetur in eo Basilij loco. Apud Burchardum verò & Ivonem (à quibus citatur ex Concilio Mogunti.) sic legitur: juxta mensuram opusque peccati, quia in hoc sententia &c.] Capituli quinti ejusdem distinctionis inscriptio est: Item ex eodem. Si quis monachus contentiones &c. In margine additur: Abest à multis exempl. quod ad vocem monachus refertur. Est etiam in margine: In regula Isidori c. 17. Burc. l. 10. c. 62. Ivo p. 13. c. 63. Et vers. Qui contentiosus, additur in margine: In sententiis patrum c. 96. ex statutis seniorum. Burc. l. 10. c. 53. Ivo par. 13. c. 54. In Notis hæc sunt: Si quis monachus] Hanc priorem partem Burchardus & Ivo citant ex Concilio Agathensi, in quo etiam habetur ex codice librorum sexdecim lib. 5. c. 22. Abest autem ferè ubique, etiam in multis Gratiani exemplaribus, vox monachus. Tam diu] Apud Burchardum & Ivonem (qui citant hanc partem posteriorem ex Moguntino, habetur autem in libro sententiarum patrum c. 96. ex statutis seniorum) legitur, ita peccateat qualiter culpæ qualitas existat.

(6) Inscriptio capituli noni Qui per pecunias. i. q. 1. in eodem libro hæc est: Item ex octava synodo. In margine est: Novella 6. c. 1. & non. 123. c. 3. apud Julian. Antecessorem. Ans. l. 6. c. 7. Ivo p. 5. c. 121. Et in Notis: Octava] In aliquot vetustis exemplaribus caput hoc citatur ex septima synodo, in qua capitulo quinto refertur canon trigessimus Apostolorum ad hanc rem faciens. In epistola autem Tarasij ad Hadrianum Papam (qua in exemplaribus bibliotheca Vaticana & aliis est in fine ipsius septima synodi) refertur canon 22. synodi qua in Trullo, his verbis: Eos qui per pecunias ordinati sunt, sive Episcopi, sive quicumque Clerici, & non secundum probationem

& vitæ optionem, deponi præcipimus; sed & illos qui hos ordinasse noscuntur. *Extat etiam hac de re epistola Basilij ad Episcopos sibi subjectos.*

(7) Caput secundum *Si quis omnem.* I. q. 7. in eodem libro ita inscriptum est: *Item ex septima synodo.* Et in margine est: *Ex actione I. in 7. anathematis. Deus-dedit p. 2. Ivo p. 4. c. 198. Ex epist. Tarasij ad Ioannem. Ivo p. 5. c. 121. Ans. l. 6. c. 87.* Hæc erant ita distinguenda ut ab illis verbis *Ex epist. ad vers.* Omnis pertinerent, non ad principium capitis. Id in Notis meliùs distinguitur in hunc modum: *Si quis] Caput hoc ex magna parte collectum est ex variis locis septima synodi; sed non ex versione Anastasij Bibliothecarij, qua alioqui sæpe uti solet Gratianus. Initium quidem est in actione prima, anathematismo septimo. Omnis Episcopus] Hinc usque ad vers. Tarasius Patriarcha sumpta sunt ex epistola Tarasij ad Ioannem Presbyterum, omissis tamen interdum nonnullis verbis. quæ quidem epistola in versione Anastasij est post actiones & canones septima synodi; sed in nova versione impressa in tomis Conciliorum est ante ipsam synodum. Tarasius] Hæc videntur sumpta ex epistola Tarasij ad Hadrianum (de qua dictum est sup. q. 1. ad c. Eos qui) aut ex quinto capite septima synodi. quib. locis refertur canon trigessimus Apostolorum. Quicumque per pecuniam] Hæc habentur etiam novella 123. c. 4. apud Iulian. Antecessorem. Si verò religiosam] Hæc non sunt in canone Apostolorum. In eodem vers. Tarasius. in margine est: *In epist. Tarasij ad Hadrian. in 7. syn. c. 5. ex can. Apost. 30. Et vers. Quicumque per pecuniam: In eâ. ep. c. 5. ex Conc. Chalc. c. 2. Novella 123. c. 24. apud Iulian. Anteces. Et vers. Qui post baptismum. Conc. Neocas. c. 9. Et vers. Similiter. Can. 26. al. 28. Aposto. dist. 63. Omnis elec. Can. Apost. 29. al. 31. & in sept. syn. c. 3.**

(8) Hæc est capitis septimi *Si quis falsum.* 5. qu. 6. in eodem libro inscriptio: *Item ex octava synodo.* In margine est: *In regula Isidori c. 17. Et in Notis: Capiti huic in vulgatis erat præpositum nomen Paleæ. quod sublatum est auctoritate omnium vetustorum exemplarium, quotquot collata sunt. Extat autem in*

regula monachorum B. Isidori c. 17.

(9) Ante caput 18. *Cum excommunicato*, II. q. 3. hæc in eodem libro verba sunt: *Item Isidorus in regula monachorum cap. 18.* Et in margine est: *Polyc. ibid. (hoc est, l. 7. tit. 1.) Burc. l. II. c. 31. & 32. Ans. l. 12. c. 16. Ivo p. 14. c. 95. & 96.* In Notis; *Prior pars hujus capituli usque ad vers. Si quis enim habetur in regula sancti Isidori (qua missa est ex Hispania) c. 18. ex qua citat hoc Smaragdus in expositione regulae sancti Benedicti c. 26. excepta tamen ista clausula, nisi quæ ad eandem excommunicationem pertinent, qua neque in regula B. Isidori legitur neque apud Smaragdum. Est tamen apud Burchardum & Ivonem. Si quis enim]* Hæc usque ad finem refert Smaragdus ex quodam Magistro monachorum. quod notabitur infra eadem c. *Si quis frater.* Inscriptio cap. 28. *Si quis frater.* ejusdem quæstionis hæc est: *Item ex octava synodo.* In margine est: *Sup. eadem* *Cum excommunicato.* *Burc. l. II. c. 32. Ivo p. 14. c. 96.* In Notis additur: *Canon hic neque habetur in octava synodo, qua habita fuit tempore Nicolai primi, (immo Hadriani secundi) neque in alia qua & ipsa nominatur octava sub Ioanne octavo celebrata, qua in bibliotheca Vaticana servantur. Multa verò qua à Gratiano ex octava synodo citantur, in regulis Basilij, Isidori, & aliis scriptis ad monachos pertinentibus inventa sunt. Hoc quidem sup. ead. Cum excommunicato. fuit tributum Isidoro, quemadmodum etiam à Burchardo & Ivone. Sed Smaragdus in expositione regulae B. Benedicti c. 26. cum antea egisset de monacho à suo preposito excommunicato, hæc scribit valde similia. Hinc quidam Magister monachorum ait: Si quis verò frater aut palam aut absconsè cum eo fuerit locutus aut conjunctus, communem cum eo excommunicationis contrahat pœnam. qua lectio convenit cum l. ctione Burchardi & Ivonis.*

(10) Quod attinet ad caput 77. *Non solum ille.* ejusdem quæstionis 3. in libro Romano inscriptio hæc est: *Item ex octava synodo.* Et in margine: *Isidorus l. 3. de sum. bono c. 59.* Et in Notis: *De hac inscriptione octava synodi notatum est sup. ead. q. 3. si quis*

frater. Inscriptio capitis 78. *Quattuor modis*. ejuldem
 questionis est: *Vnde Gregorius ait*. In margine est:
 Isidorus l. 3. de sum. bono c. 58. *Burc. l. 16. c. 28.*]
 Ad illa, *animum alicujus corrumpimus*, additur:
Al. muneris alicujus corrumpitur. *Isid.* & pro voce
adversarium, *al. adversa*. In notis est: *Apud Gre-*
gorium non est inventum, sed apud Isidorum, quem
admodum citat Burchardus, & paulo etiam plenius.
& sequitur nonnullis interjectis post caput Qui rectè.
suprà eadem.

(11) Gratiani verba sunt ante caput primum causa
 20. q. 1. in eodem libro: *probatum auctoritate nona*
synodi. Firma autem &c. In Notis est: *Nonæ] In*
nonnullis vetustis exemplaribus est, octavæ. Verum in
octava ab Hadriano II. habita non habetur, sed in
libro B. Basilij de institutis monachor. Ruffino inter-
prete c. 8. Similia etiam sunt apud eundem B. Basili-
um in regulis fusiùs disputatis c. 25. Ac perfecta]
Hac non sunt in eo B. Basilij loco.

DE EADEM RE.

Dialogus nonus.

C. CUM pontificalem librum non edi-
 tum ad te nuper adlatum in manibus ha-
 berem, incidi in extrema tempora Innocen-
 tij tertij. Illic inveni mentionem Gratiani
 fieri his verbis, quæ tibi meliùs in libro ipso
 indicavero, quia sunt quædam mihi valde
 ignota. A. Ostende locum. Neque enim in-
 gratum erit de Gratiani vita aut tempore cog-
 noscere. C. *Hoc anno (scilicet MCCXV.)*
Gratianus monachus de Clusa civitate Tusciæ
natus Decretum composuit, ut dicit Hugucon-
feria q. VI. c. for. Floret etiam Magister Pe-